



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christophori de Ortega Sanclementini, E' Societate  
Iesv. Qvondam in Provincia Toletana Theologiæ  
Scholasticæ publici Professoris ... Tractatvs Dvo, De  
Trinitate, Nec non, Incarnatione**

**Ortega, Cristóbal de  
Lugduni, 1664**

Qvæst. III. An bonitas, & perfectio pro personarum numero multiplicetur in  
Trinitate.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94251](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94251)

re ipsa eandem habeant veritatem: quia re ipsa entitatem eandem non habent, sed media rationis negatione, quae in omni abstractione intercedit, in personis autem Trinitatis eadem entitas, & essentia physice, sine vlla rationis fictione, intercedit: quare, & veritas eadem. Denique aduertere veritatem propriam Filij non esse veritatem transcendentem, sed obiectiuam representationis, quae in imagine perfecta reperitur.



### QVÆSTIO III.

An bonitas, & perfectio pro Personarum numero multiplicetur in Trinitate?



ON est quaestio de bonitate morali vniuersim neque specialiter sumpta pro beneficentia, seu propensione ad beneficia praestanda; sed de alia, quae res etiam irrationales bona dicuntur in se, quaeque idem est atque perfectio physica, vel metaphysica rerum, vt in titulo quaestionis supponitur.

#### CERTAMEN I.

Bonitatis diuisiones, definitiones, atque ad decisionem notatae.

**B**onitas, & perfectio rei cuiusque, siue absoluta, siue relatiua; alia absoluta est, alia relatiua. Absoluta illa est, qua vnumquodque in se bonum intrinsecè est nulla habita comparatione ad aliud, quod bonum, seu perfectum physice, vel metaphysice constituit. Relatiua verò, quae alterius perfectiua, atque, vt sic loquar, beneficiatiua est. Porro absoluta bonitas, seu perfectio in integritate, & totalitate essendi consistit, vt aiebat Arist. 3. physic. c. 6. text. 63. Totum & perfectum, aut idem penitus sunt, aut naturam finitimam habent. Rationem reddit text. 64. Cuius nihil est extra, id est perfectum, ac totum. Hoc enim pacto totum consueuimus definire: totum dicitur id esse, cuius nihil est extra. Nimirum ex definitionis identitate eandem esse vtriusque essentiam plane demonstrat, sibi que similis 1. de celo cap. 4. text. 23. de perfecto ait: Id, extra quod nihil eorum, quae sunt ipsius accipi potest, Denique 5. Metaphys. c. 16. text. 21. Extra quod non est ullam accipere particulam. Ac deinceps: Quaecumque igitur per se perfecta dicuntur toties dicuntur. Quaedam eo quod secundum bene in nullo deficiant: nec habent in aliquo genere excessum: nec est quidquam extra. Nempe pertinentium ad ipsum. Sic interpungendus hic textus: vbi duplicis bonitatis, & perfectionis membra numerat, atque definit: parte autem extrema bonitatem, & perfectionem vniuersim.

<sup>2</sup> Aristotelica doctrina consonat S. Tho. 5. Met. text. 21. lect. 18. 1. p. q. 4. a. 1. ad 1. q. 5. a. 5. corp. atque in 2. ex Dion. de diuin. nom. lect. 1. col. 2. Adde Isidor. 7. origin. siue Etymolog. c. 1. post med. sic in eandem sententiam scribentem: Deus perfectus dicitur, quia nihil ei possit adici. Denique communis hominum sensus in eandem sententiam conspirat, Latine enim perfectum dicitur consummatum, omnibusque numeris absolutum. Hispanè vero: consumado, acabado. Quibus significatur nihil, quod rei illius sit, ipsi deficere, sed potius omnia quae illius sunt, ipsi adesse. Hinc, quoniam, quae rei cuiusvis sunt, alia ad intrinsecam ipsius constitutionem, & esse intrinsecè spectant, alia verò ad operari, & exterius quidem competunt: quae primo competunt modo ad bonitatem, & perfectionem primariam rei pertinent, quae verò secundo modo ad perfectionem, &

bonitatem rei secundariam. Vnde coniunctum ex intrinsecis, & essentialibus omnibus rei bonitas, seu perfectio primaria erit; secundaria verò coniunctum ex omnibus extrinsecis ipsius. Puta actionibus, passionibus, potentiis, operationibus, siue physicis, siue physica bonitas, & perfectio sit, siue moralibus, si sit moralis bonitas, & perfectio. Cum autem intrinseca, & essentialia rei iuxta duplicem modum essentiae ipsius, duobus etiam modis accipiuntur, nempe physica, & metaphysica; bonitas, seu perfectio primaria, siue in essendo in bonitatem, & perfectionem physicam, & metaphysicam diuidetur. Physica in integritate, & totalitate partium essentialium rei stabit; metaphysica in totalitate essentialium praedicatorum.

<sup>3</sup> Quoniam verò essentiae nomen ab essendo, siue existendo tanquam à prima rerum bonitate, & fundamentali desumptum est, sit, vt, quod per se, siue ratione sui physice, vel metaphysice existit, aut est, bonitas rei dicatur; quod autem ratione sui non est, aut existit, nec physica nec metaphysica rei bonitas esse possit. Audiamus S. Tho. 1. p. q. 4. art. 1. ad 1. Quia in his, (inquit) quae sunt, tunc dicitur esse aliquid perfectum cum de potentia educitur in actum, transmittitur hoc nomen perfectum ad significandum omnes illud, cui non deest esse in actu. Quae doctrina desumpta est ex Aug. 3. de lib. arbit. cap. 5. dicente: Omnia, quae sunt, eo ipso, quod sunt bona sunt. Et q. 24. ex octoginta tribus: Omne, quod est, in quantum est bonum est, 1. de doctrina Christiana cap. 23. subinit: Quia Deus bonus est, sumus, & in quantum sumus, boni sumus. Quibus praelixit Arist. 1. Ethic. cap. 6. sub init scribens: Cum bonum eque ad id, quod est dicatur. Ex eo autem, quod bonitas primaria, siue in essendo dicat totalitatem, sit secundum, nihil, quod essentialiter pars in ordine aliquo sit, posse in eo habere absolute bonitatem: quare materia, & forma v. g. equina, quae essentialiter partes physicae sunt, nequeunt in ordine physico habere absolute bonitatem. Similiter rationale, quia in ordine metaphysico essentialiter est pars, in eodem bonitatem primariam absolute non habebit. Habebit autem in ordine physico, & in quo totum quoddam est materia, & forma constans: sicut harum quaeuis in ordine metaphysico absolute bonitatem habebunt: quia in eo partes componentes metaphysice non sunt, sed totum quoddam ex suo quaque genere, & differentia consistens.

<sup>4</sup> Duo ex his obseruanda veniunt. Primum bonitatem, seu perfectionem transcendentem (si sit primaria haec, de qua loquimur) pedissequamque entitatis, siue entis comitem non aded indiuiduè illud consequi formabitur, sed materialiter: vt in quocumque ordine entitas sit, non in eodem bonitas haec primaria, & stricta esse debeat, sed solum, quia de quocumque ente physico ens praedictur de eodem etiam bonitas absoluta primaria, stricta debeat enuntari. Etenim in parte physica entitas, & existentia physica est, in qua bonitas primaria stricta absolute non est, vt vidimus. Sed nec parti metaphysice essentialiter tale licet entitas in ea foret bonitas adesse praefata: quia totum in ordine metaphysico non est. Secundum obseruandum est bonitatem, & perfectionem primariam, transcendentem, ac metaphysicam totalis entis pedissequam solum esse: quare in ordine, in quo aliquid totum sit in eo bonum, & perfectum absolute erit. Si autem partes cuiusvis ordinis, entia ratione sui esse inueniantur in eo ordine secundum quid bonitatem habebunt: (hanc censo vulgatius bonitatem transcendentem appellari) quia ratione sui, & intrinsecè habent suum esse, quod est bonitas fundamentalis, ac prima rerum vt ex Aug. S. Thom. & Arist. nuper recitabamus. Sin autem in parte essentiali, cuiusvis ordinis, esse, aut entitas ratione sui, & intrinsecè non inueniatur, neque bonitas secundum quid poterit reperiri, vt patet.

<sup>5</sup> Iam verò bonitas, relatiuaque perfectio, vt plurimum, potius perfectiuum, seu beneficarium dici deberet: est siquidem illa, qua perficitur aliud, siue essentialiter, siue accidentarie; si simpliciter simplicem excipias. Cum autem ab eo, quod actu, & formaliter non est in se, & ratione sui, nihil possit actu esse aliquid recipere, quod est prima ac fundamentaria bonitas ipsius, siue intrinseca,

intrinseca, & primaria, ut vidimus nuper, siue extrinseca, & secundaria, sicut, ut quod intrinsecè, ac formaliter ratione sui non est, ac non existit, neque alterius possit esse perfectiolum, seu bonificatiolum, atque, quod idem est, bonitas seu perfectio relatiua. Hinc si aliqua forma, vel iure idètitatis cum alio, quod per se, & ratione sui habet esse, seu entitatem, vel alio quopiã iure, sit alterius entitate, & existentia ens, & existat, nusquam ipsius perfectio esse poterit: quia ei, à quo esse mutuatur, nequit esse tribuere, sed solum talitatem. Illud enim, ad esse talem, de suo ponit esse, ac forma illa de suo solum talitatem, quam habet. Id quod ad presentis questionis conclusiones semel tenere pluries proficiet. Porro relatiua hæc bonitas, dicitur in simpliciter simplicem, & nõ simpliciter simplicem. Hæc est, quæ res, utcumque, perfectior. Illa verò definitur ab Ansel. 5. Prologij, & 14. Monologij: *Quod melius est in aliquo non ipsum, quã ipsum: ut non aurum quam aurum. Nam melius est homini esse non aurum, quã aurum.* Id est, quod melius est, non quidem sui, negatione (sic enim quævis creata ratio, melior sui negatione cum sit, perfectio simpliciter simplex foret) sed quovis positio opposito, atque cum ipso impossibili, vti non aurum, quod est homo, melius est ipso, quam aurum, quod est non homo.

6 An verò id, cui perfectio simpliciter simplex melior esse debet ipsa, quam non ipsa, sit totum, quod ex ipsa resultat, & in quo intrinsecè clauditur difficultas est. In qua Gaspard. Hurrado d. 2. diff. 10. §. *Gregorius verò*, Didacus Ruiz d. 30. lect. 9. à n. 6. aiunt parti solum, cui extrinsecè conuenit, non autem toti, in quo intrinsecè clauditur, debere esse meliorem ipsam, quam non ipsam: quia alioqui materia prima, & pars quævis creatum quodvis componens perfectio simpliciter simplex erit. Verùm Ansel. cit. loco expressè his Doctoribus aduersatur. Non enim ait formam non auri, scilicet hominis, meliorem esse materiam, quam formam auri; sed non aurum meliorem esse toti homini, quam aurum. Ratio est: quia bonitas relatiua dicitur talis in ordine ad perfectionem absolutam: cumque hæc sit propria totius, quia in totalitate consistit in Ordine ad totum esse debet. Vnde licet comparem pars alteri perferret melius, quam alia pars, si tamen non constitueret totum melius illo, quod alia constituit perfectio simpliciter simplex non foret. Sicut ergo perfectione simpliciter simplicem, quæ nobilissimum relatiua perfectionis genus est, in ordine ad totum debere esse meliorem ipsam, quam non ipsam. Confirmatur. Quia perfectio simpliciter simplex in solo Deo est, in quo partes non sunt, sed totum simplex, & indiuisibile solum.

7 Neque verò nostri Hurrado quidquam præstat obiectio. Perfectio enim simpliciter simplex duplicem habet respectum, si in partialibus entitatibus admittatur. Alteri comparationis melioritatis, ut sic loquar, & hic est totius constituti ad totum quodvis oppositum, ut satis docet Anselmus, ita ut perfectio simpliciter simplex supra perfectionis, & bonitatis absolutæ rationem solum addat respectum melioritatis ad tota, ut sic loquar, & bona, ac perfecta reliqua, quæ totum illud, neque sunt, neque esse possunt. Altera ad materiam, seu cõpartem, quã perficit, & hic nequit perfectione simpliciter simplicem constituere; licet enim eam perficiat, non tamen illam constituit meliorem omnibus, quæ nec ipsa sunt, neque esse possunt, nisi diuinum quid sit, in quo vera pars non est, ut diximus. Vnde Anselm. 14. Monolog. docet perfectionem, seu bonitatem simpliciter simplicem, summam bonitatem esse debere; in qua sola potest esse perfectio simplex, id est sine admixtione imperfectionis positivæ, vel negatiuæ, cuiusmodi est creatæ cuiusvis perfectionis limitatio.

CERTAMEN II.  
*Aliorum placita.*

1 Personalitates, siue relationes perfectiones, ac bonitates transcendentales esse docent Scot. 1. d. 7. q. 2. argum. 1. principali, & eius solut. Gabr. d. 7. q. 2. a. 2. Okam. d. 19. q. 1. fin. Maior q. unica ad argum. ad dub. 1. Aureol. p. 2. a. 3. proposit. 1. Greg. d. 20. q. 1. a. 1. in impugnatione. R. P. Christoph. de Ortega, de Deo Vno & Trino.

nibus, & fin. d. 33. q. vn. a. 3. ad 6. Carthul. d. 24. q. 7. Marfil. r. q. 23. a. 3. à Cõtol. 4. Clitovæus in 1. Damasc. de fid. c. m. lógè à princ. Caiet. 3. p. q. 3. a. 1. §. *Ad euidentiã*. Valentia contr. de Trinit. l. 2. c. 12. Canar. 1. p. q. 28. a. 3. ad 3. col. vlt. Valq. d. 122. c. 6. Suar. 3. de Trinit. c. 9. & 10. t. 1. 3. p. d. n. sect. 4. col. 5. Arub. d. 105. Ludouic. Torres. d. 6. Zunmiga d. 5. dub. 12. m. 2. Granad. 1. p. t. 3. d. 5. Merat. d. 58. Gasp. Hurrado supra. diff. 9. Martin. Peiez d. 6. & Ruiz iam citandus. Porro tam hic, quam Marfil. cot. Canar. Caiet. parum constanter. Maior verò Greg. Gabr. Okam. Valent. Valq. Torres, Granad. & Hurr. non solum bonitatè, ac perfectionè transcendentale, sed & simpliciter simplicem personalitatibus concedunt. Id quod negant reliqui, imò ex his Scot. Gabriel. Gregor.

2 Didacus Ruiz d. 29. lect. 2. & 3. quod bonitatem transcendentalem, citatis Doctoribus adentit: probatque testimonij, & rationibus plurimis; minori tamen, quã par esset, consequentia disput. verò 30. lect. 3. à n. 6. contendit personalitates seorsim, adhuc secundum quid, bonitatè, & perfectionem transcendentalem non habere: quia entis diuini peculiare est claudere quidditatiuè quiddid ad sui cõplementum, & perfectionè spectat. Quo circa in personalitate, ut ens diuinum est, & quod bonitas transcendentale sequatur, debent essentia, & attributa, ac proprietates concipi. Vnde nulla personalitas, seu relatio, seorsim bonitatè transcendentalem entis pedissequã habeat, sed tres simul, vnam autem bonitatè, & perfectionè simpliciter simplicem integrare docet lect. 3. n. 9. & lect. 9. n. 5. Probat primum n. 9. cit. quia personalitates includunt formaliter essentia: ergo non sunt multiplicata, quoad totum suum esse formale quidditatiuè: sed bonitas seu perfectio transcendentale debet esse entitas plena, & integra, quoad totum esse sibi quidditatiuè: ergo personalitates non sunt bonitates transcendentales; quod secus euenit in essentia quæ quatenus præcisa ab relationibus habet totum esse quidditatiuè diuinitatis, quia personalitates in illo non clauduntur.

3 Deficit in multis doctrina hæc. Primò in consequentiã, ut notauimus. Secundo in questionis supposito de personalitatibus præcisis, quæ iuxta huius Doctoris doctr. proximã, ut implicatoria reicienda ab ipso erat, nõ autem diuersã, imò aduersã, ut dixi de personalitatibus præcisis conclusiones statuendæ. Tertio inclusio diuinitatis formaliter, in formalitate personalitatis cuiusvis supponitur falsò, ut in sequentibus ostendã. Quarto inde euanescit disparitas inter essentia, & personalitates, quoad integritatè in esse diuino, ut illa bonitatè, & perfectionè transcendentale habeat, secus ista. Imò ex eius principiis deducitur, neque essentia habere bonitatè transcendentale: quia propriũ est diuini entis quiddid pertinet ad sui integritatè, & cõplementũ etiã attributa, quæ extra essentia formaliter sũt: sed personalitates sunt de cõplemento formaliter extrinseco, realiter verò intrinseco diuinitatis: ergo essentia præcisa non est ens diuinum, quod sequatur bonitas, & perfectio transcendentale, si quid valet eius argumentum. Maximè, cum in eius doctrina personalitates habeant entis prædicarum formaliter intrinsecũ diuersũ formaliter ab ente essentia.

4 Quintò includatur essentia in cõceptu personalitatis. Ex ea, & personalitate hac efficitur integra persona nõ solum formaliter, sed realiter diuersa ab alia: ergo quævis persona est vna integritas quidditatiua diuersa ab alia: quare, & vna bonitas transcendentale diuersa ab aliis personarũ diuarũ. Cõfirmatur ad hominẽ ex quatuor rationibus, quas adducit pro doctr. sua d. 29. l. 3. quarũ tertia hæc est à nobis efformata. Quarta verò quia quævis persona seorsim amabilis, ac adorabilis est: ergo bona. Secunda: quia nihil singulare (cuiusmodi est persona quæuis) abstrahit à perfectione, vel imperfectione. Prima: quia ex eo, quod persona, & personalitas sit perfectio sine imperfectione, probatur à Theologis Deũ esse personã. Ex quo suo argumento probatur cõtra ipsũ plus, quã nũc contēdebamus. Nepe nõ solum personã quãvis diuinã seorsim esse bonitatè transcendentale, sed bonitatè, & perfectionè simpliciter simplicem. Missis autè Doctoris huius in cõsequentiis triplex hæc tenus recitata Doctorũ sententia est. Prima personalitates bonitates, & perfectiones transcendentales esse, nõ autè simpliciter simplices.

simplices. In qua est Ruiz cum alijs notatis n. 1. Secunda esse etiam bonitates simpliciter simplices. In qua sunt Valq. & alij eodem numero loco ultimo citati.

5 Tertia sententia est Ruiz inconstanter negantis personalitates, imò & personas esse bonitates transcendentales. Pro hac referuntur etiam Palud. 3. d. 1. q. 2. à 7. fine, & à 4. Capreol. 1. disp. 17. q. 1. à 2. ad 3. contr. 1. concl. disp. 33. art. 3. ad 1. 3. & 4. Aureol. Ferrar. 2. controu. q. cap. 9. med. & lib. 4. cap. 14. circa med. §. dicit secundò, ac versic. fin. §. ad primū dubij. Caiet. 1. p. q. 28. art. 1. & 2. ad 3. ac 3. p. q. 3. art. 1. atque alij Thomistæ. Sed hi loquuntur de personalitatibus sub conceptu relationis, sub quo entia rationis esse defendunt, non sub conceptu reali personalitatis, quem admittunt esse transcendentalem bonitatem, vt videre est in Caiet. Ex alijs verò, qui de personalitatibus, seu de relationis, vt de non figmentis sentiunt hanc sententiam tuentur Scotus. Quod lib. 5. art. 2. & fine in primo disp. 2. post q. 5. in ordine §. ad primam questionem, versu hoc etiam arguitur disp. 19. quæst. 1. ad 2. principale d. 26. q. vn. §. ad primam tertiam via. versu per hoc patet. Durand. 1. d. 13. q. 2. n. 26. d. 19. q. 1. & 4. n. 4. in 2. d. 34. q. 1. n. 22. & 23. & in 3. d. 1. q. 3. n. 13. Marfil. 1. q. 6. art. 1. arg. 8. art. 3. ad 8. q. 23. art. 2. Corol. 2. 3. & 5. vsque ad 8. Richard. 1. d. 19. art. 1. q. 3. d. 24. art. 1. q. 3. ad 1. Argent. d. 4. q. 1. art. 1. circa finem. Dionys. Cisterc. disp. 33. q. vnic. artic. 3. solut. 2. fin. Deza disput. 7. q. 1. art. 3. notab. 4. & artic. 4. ad 3. Aureoli. Canar. 1. p. q. 28. art. 1. ad 4. Molin. art. 2. ad vltim. q. 42. art. 6. disp. 2. Bellarminus 2. de Christo cap. 12. fine in quibus præter extremos hos tres, consequentiam desidero ad ea quæ alibi dixerunt, & ad ea, quæ docuerunt de prædicato entis proprio, & formalitatis personalitatis cuiusque, & de propria existentia earum.

### CERTAMEN III.

*De personalitatibus præcisiss conclusiones nostræ.*

1 Dico primò. Personalitas præcisissima non est primaria bonitas absoluta, & stricta. Probatur facillè omnium communi principio. Quia hæc bonitas consistit in integritate, & totalitate essendi, quam, vt sic, nequit personalitas habere, vt patet: ergo, neque, vt sic, potest eiusmodi bonitatem habere. Probatur secundò in nostris principijs. Quia personalitas non habet, vt præcisissima, esse, siue rationem entis, & existentiam, sed solum mutuatam ab essentia vt q. 1. docebat: ergo neque integritatem essendi. Quod enim, ne partialiter quidem est secundum se, quomodo integrè, & totaliter in se & secundum se erit? Confirmatur. Quia, vt dicebamus cert. 1. prima, & fundamentalis bonitas est esse, seu ratio entis: ergo ea sublata ab aliqua formalitate implicabit bonitas. Certè quoad hanc conclusionem nobiscum venient Doctores tertie sententiæ, plurisque ex secunda: ac, nisi communem bonitatis, & perfectionis absolutæ primariæ strictæ definitionem respuant, nemo Theologus poterit à nobis recedere.

2 Dico secundò. Personalitas præcisissima non est bonitas absoluta, etiam secundum quid. Ita Doctores omnes tertie sententiæ, cui consentire consequentiæ gratia debent, qui rationem entis personalitati, vel negant, vel debent negare. Eam expressit Damasc. 1. fid. cap. 9. dicens: *Ignoscendū proprietatem non significare substantiæ differentiam, neque dignitatem perfectionis sed substantiæ modum.* Probatio solida, & à priori ex nostris principijs vnicè petenda est vltimò efformatæ pro prima conclusione, non tam similis, quam eadem. Quia hæc bonitas sequitur entis prædicatum, ac proinde vulgò transcendentalis dicitur, atque cum ente conuertitur: ergo implicat reperiri in eo, à quo entis ratio abfit: atqui à personalitate præcisissima entis rationem abesse probauimus abundè q. 1. ergo ab eis abest bonitas hæc secundum quid, seu transcendentalis. Confirmatur: quia esse in quo vis ordine est prima, & fundamentalis bonitas, quo sublato implicat vllā bonitatem excogitari. Quod enim formaliter, & actu nō est,

quid boni habere poterit? Probatio secunda solida à posteriori est. Quia alioqui tres personæ maius quid, & perfectius forent, quam singulæ contra Patres omnes recitandos cert. 5. & fusius disp. de comparat. personarum, vbi Aduersariorum solutiones reuincimus. Quod enim affert Ruiz pro hac conclusione, tum ex infinitate cuiusvis personalitatis, ob quam quæuis contineret bonitatem alterius, quod implicat, cum conclusione, facillè negatur. Cum enim se totis, vt potest singularitates metaphysicæ, personalitates differant, non probatur mutua contententia bonitatem. Secundum argumentum futilius est: ex bonitatis enim secundum quid multiplicatione in diuinis non inferitur pluralitas Deorum.

3 Dico tertio. Personalitas præcisissima non est perfectio relatiua. Conclusio hæc ex eodem nostro principio solidè probatur: quia personalitas præcisissima, ac secundum se formaliter sumpta non est ens formaliter, & actualiter: quare neque actu formaliter est, sed solum est ens in potentia, habetque esse in potentia ratione identitatis cum essentia, à qua iure identitatis esse, & entitatem mutuatur: ergo nequit tribuere essentia, & naturæ, cui adiungitur metaphysicè, vel quasi physicè per identitatem realem esse aliquid intrinsecum, vel extrinsecum. Quod enim de suo non habet, sed potius mutuatum ab essentia, quo pacto essentia præstabit? Atqui, quod nullū esse præstat alicui, nequit illud perficere: ergo personalitas præcisissima nequit ipsam perficere: ergo neque est perfectio essentia: ergo neque perfectio relatiua ipsius subsumptum proximum probatur ex dictis cert. 1. n. 5. Quod autem neque respectu personalitatis, aut personæ alterius perfectio relatiua sit eodem argumento conuincitur: quia neque illis tribuit aliquid esse, siue extrinsecum, siue intrinsecum. Probabiturque amplius ex dicendis cert. sequenti n. 3. Quid autem dicendum sit de personalitatibus realiter sumptis constabit ex dicendis eodem cert. cum personalitas realiter sumpta idem profus, quod persona sit.

### CERTAMEN IV.

*De Personis conclusiones aliæ.*

1 Dico quartò. Persona quæuis habet bonitatem absolutam primariam simplicem & relatiuam simpliciter simplicem. Vtrumque est contra Ruiz disp. 30. lect. 3. & 4. & fortasse contra aliquos ex citatis pro sententia prima, qui non nimis distinctè de personalitate loquuntur, & persona. Est autem quoad vtrūque Doctores secundæ sententiæ. Neque enim possunt asserere esse bonitatem simpliciter simplicem, quin asserant esse bonitatem absolutam primariam: quia illa hanc supponit, & addit respectu melioritatis comparatione omnium, quæ ipsa, seu ipsum nō sunt. Prima pars probatur facillè: quia quæuis persona est totum, & integrum quid in ordine essendi, simplex, & indiuisibile physicè, metaphysicè autem compositum, nihil vltius ad suum esse expectans: atqui in hac totalitate, & integritate essendi stat ratio bonitatis absolutæ primariæ, vt constat ex cert. 1. n. 1. & 2. ergo in quavis persona est bonitas absoluta primaria. Confirmabitur amplius pars hæc ex dicendis in secunda parte.

2 Secunda pars conclusionis probatur. Quia in quavis persona est essentia, quæ sola est tota bonitas, & perfectio in diuinis, quippe quæ est tota ratio formalis entis diuini, totumque esse diuinum melius infiniti omni alio esse ipsi repugnante, & opposito: ergo quæuis persona habet bonitatem simpliciter simplicem. Quod autem Pater non sit melior alio, cum quo nequit esse idè, nil probat: quia esse Filij, in quo tota bonitas est, idè est, & ac proinde non melior, cum personalitate Filij, quæ secundum se bonitas non est, sicuti neque entitas, quam cum personalitate Patris cum qua Filij personalitas nequit esse idem; neque Paternitas melior est, quam illa: sunt enim termini inhabiles ad eiusmodi comparationem, quæ secundum se bona non sunt. Itaque Personæ in esse, & bonitate non habent oppositionem, cū idè esse, & bonitatem habeant, in eo autè in quo oppositionem, & distinctionem, habent.

habent, nempe in personalitatibus, locum non habet respectus melioritatis, seu excessus in bonitate. Etenim, quæ bona non sunt, nec magis, nec minus bona esse possunt, ut patet.

3 Dico quintò. Nulla persona in diuinis habet perfectionem absolutam secundariam, & extrinsecam in ordine vllò, siue physico, siue metaphysico. De ordine physico probatur. Quoad operationes ad extra, quibus solum concipi poterat in ordine physico strictè sumpto perfici. Quia summa infinita perfectio diuina incapax est perfectionis, adhuc extrinsecæ creatæ: si enim eius capax esset, libertas in operando me iudice cessaret. Et certè Deus, & mundus totus simul melior non est Deo solo. Ratio est quia omnis bonitas creatæ eminenter continetur, in bonitate Dei. In ordine verò physico laxè originum nõ perficitur: quia in quocumque ponantur processiones identificate, siue in termino, siue in principio, secundum id, quod essentia identificate cum principio addunt, nec esse tribuunt principio, nec bonitatem, cum neutrum de se formaliter habeant: ut patet ex dictis, confirmabiturque conclusione vltima iam subiicienda. Ex qua doctrina probata manet conclusio de Ordine metaphysico. Ea quippe omnia, quæ extra essentiam metaphysicam Deitatis concipiuntur, siue attributa, siue personalitates de suo entitate, atque esse non habent.

CERTAMEN V.

Sexta, & vltima conclusio dogmatica illustratur graui antecedentium conclusionum disputationis huius confirmatione.

1 Vltima, & sexta conclusio dogmatica est. Tres personæ non sunt tres bonitates absolute; sed vnica, & inessentialis solum. Est Doctorum tertie sententiæ, ac nostri Ruiz disp. 30. sect. 3. & 4. Sed necio an hæc tenens rationem communem summo Patrum consensu datam eorum aliqui percaluerit. Dogmaticam dixi: quia omnium Patrum sententia est aperta. August. 5. de Trinit. cap. 8. ante med. *bonus Pater, bonus Filius, bonus Spiritus Sanctus. Nec tres boni, sed vnus est bonus.* Nempe substantiæ, ut idem est, quod bonitas: nam adiectiue tres bonos esse citra dubium est. Damasc. r. de fide cap. n. longè à principio ait: esse in diuinis. *Bonitatis identitatem, non similitudinem, sed identitatem.* Et post pauca: *Vna bonitas, vna virtus, &c. Non tres adinuenimur similes.* Anselm. 23. prolog. sine. *Hoc est illud vnum necessarium, in quo omne bonum: imò, quod est omne, & vnum totum, & solum bonum.* Ratio à priori quia tota bonitas, & perfectio personarum est diuinitas. Hæc est eadem, & inessentialis in tribus personis: ergo & bonitas, & perfectio eadem, & inessentialis est in eisdem. Maior, imò totus securus est S. Thom. q. 2. de pot. art. 4. ad 14. *Sicut Paternitas, & Filiatio sunt vna essentia, ita vna dignitas, & vna bonitas.* Repetit art. 5. atque 1. p. q. 30. art. 2. ad 4. & q. 42. art. 4. ad 2. *Magnitudo (quæ idem quod bonitas) in diuinis significat perfectionem naturæ, & ad essentiam pertinet. Et ideo equalitas in diuinis, & similitudo secundum essentialia attenditur. Nec potest secundum rationem relationum in equalitas, vel dissimilitudo dici.*

2 Consentiunt in ratione hæc Patres. Isidor. 7. Etymol. cap. 1. post med. vbi bonitatem numerat in prædicationis, quæ ad vitam pertinent Trinitatem, propter vnã, & coeternam substantiam. August. 7. de Trinit. cap. 6. med. probat tres personas simul non esse maius (quod idem est, ac melius, & perfectius) singulis: quia non maior essentia est, Pater, & Filius, & Spiritus simul, quam solus Pater, vel solus Filius. Et serm. 38. de temp. circa medium eiusdem eandem ratione sic reddit: *Quia eadem natura est in vnaquaque persona, &c. quæ est in tribus personis simul nominatis.* Ep. 66. ad Maximin. ante med. *Hæc Trinitas vnus est, eiusdemque nature, atque substantiæ, non minor in singulis, quam in omnibus.* Concilium Tolet. 11. profess. fid. circa medium de bonitate, perfectione, & magnitudine ait: *Nec minoratur in singulis, nec augetur in tribus: quia nec minus aliquid habet, cum vnaquaque persona Deus singulariter dicitur, nec amplius cum tote tres persone vnus Deus.* R. P. Christoph. de Orrega, de Deo Vno & Trino.

enuntiantur. Anselm. cap. 23. citato circa med. *Quod autem est singulus quisque, hoc est tota Trinitas simul. Quoniam singulus quisque non est aliud, quam summe simplex vnitas, & summe vna simplicitas.* Bern. Epist. 70. ad Innocent. circa medium: *Et totum vnum est regnum, nec superabundans in tribus, nec imminutum in singulis. Nec enim verum, summumque bonum, quod sunt inter se particulariter diuidunt: quoniam nec participaliter id possident, sed hoc ipsum essentialiter sunt.*

3 Confirmatur. Quia nisi sola essentia bonitas, & perfectio esset in diuinis, sed quæuis etiam persona sua bonitas foret, bonitas Filij deesset Patri, & contra: at qui nulla bonitas deficit Patri, aut Filio: ergo tota bonitas personarum est sola essentia, & diuinitas. Minor est Naz. or. 37. 5. de Theolog. longè à princ. his verbis: *Neque Filio aliquid deest ad hoc, ut sit Pater (neque enim defectus est Filiatio) nec propterea Pater est. Alioqui eadem ratione Patri aliquid deesset ad hoc, ut sit Filius. Neque enim Pater Filius est. Sed hæc defectum proculdubio non arguunt, nec essentia summisionem.* Pende extrema, ex quibus constat in sola essentia esse perfectionem: cum eius solum summisione defectus perfectionis personarum admittat posse argui. Ambr. 4. de fide ad Gratian. cap. 4. vers. med. *nec ideo minus habet filius, quia Pater non est: nec Pater minus habet, quia filius non est. Dixit enim Filius omnia, quæ habet Pater mea sunt. Ad eo generatio in paterna pietate non in iure est potestati.* Tertio probatur. Quia Patres constanter negant tres plenitudines in diuinis, atque vnica solum agnoscunt. Athanas. r. de vnit. Deit. vers. fin. asserens Scripturis repugnare. *Tres plenitudines Deitatis.* Sequenti lib. 2. de propriis personis, sine: *Na est in ipsa Trinitate plenitudo diuinitatis.* 3. de Assumpt. homin. *Vbi que præsens est hæc vnica plenitudo.* Hoc autem solum est, quia essentia, seu diuinitas est tota, & sola plenitudo, seu, quod idem est, bonitas, & perfectio in diuinis: ergo, &c.

4 Negat minorem hanc Ruiz, aitque vnica esse quia ex essentia, & tribus personis, seu personalitatibus conflatur. Hoc autem satis impugnatum est hæc tenens præsertim conclusione prima, & hoc cert. Sed impugnat rursus, & confirmatur minor. Primo. Quia nulla persona seorsim est tota Trinitas: ergo in huius sententia nulla seorsim erit integra, plena, perfecta, siue plenitudo, perfectio, & bonitas Deitatis, seu diuina. Quod est erroneum, vel propè. Patet ex Hilari. 3. de Trinit. col. 2. *Ut omnia in ingenito Patre perfecta sunt.* Ex Athanas. or. 4. contra Arrian. subinit. *Plenus, & integer est Pater: & plenitudo Deitatis est Filius.* Sed integrum nostrum discursum, atque efficacem solutionis huius impugnationem dedit idem Athanas. or. contr. gregal. labellæ sub med. sic effatus: *Vnus igitur, & vnus, & dualitas non diuisa, est natura: cum sit indeficiens ad suam integritatem. Vniuersa enim plenitudo & integritas est Pater, ut Pater. Vniuersa item plenitudo Deitatis est Filius, ut Filius (id est seorsim quisque acceptus) quandoquidem amborum vna forma (id est natura) intelligitur, quæ integre se in vnoquoque, & solide exhibet. Quid clarius? & tamen hæc pro se recitat Ruiz disp. 30. sect. 7. n. 2. Nec obscurius in eandem sententiam scripsit Athanas. idem serm. de Sanctissima Deipara col. 3. *Singuli non destituuntur plenitudine Deitatis: sed equalitatem habent, omnium earum proprietatum, quibus equaliter plenitudo diuinitatis intelligatur. Quibus enim equalis substantia est, diuersis interim proprietatibus, ea equalia.**

5 Denique Maieestas, & magnitudo in essendo, (quod idem est, atque bonitas, & perfectio in diuinis) vnica, & solius essentia est in Trinitate. De magnitudine ita scribit Aug. 5. de Trinit. c. 8. post med. *Quoniam non aliud est Deo esse, aliud magni esse (magnitudine perfectionis, quæ sola locum in diuinis habet) sicut non dicimus tres essentias, sic nõ dicimus tres magnitudines.* Et certè Pl. 144. n. 6. Pl. 70. n. 8. Pl. 150. n. 2. Sap. 15. n. 2. Eccles. 2. sine, & 18. n. 4. Baruch. 3. Magnitudo, & magni propterea singulariter, numquam pluraliter de personis, ac Deo enuntiantur. Cui phrasi consonat Boët. lib. An Pater, Filius, & Spiritus Sanctus de diuinit. *substantialiter prædicentur? circ. med. Necessè est veritatem substantialiter prædicari de bonitate, de iustitia, &c. de cæteris omnibus, quæ, tam de singulis, quam de omnibus, singulariter prædicamus.* Ecce bonitatem, quæ idem est cum magnitudine, singulariter de singulis, & omnibus prædicari ait, ac de illa substantialiter prædicari.

predicari veritatem: vtrumque autem probat solam essentiam Deitatis, vel esse, vel consequi. De maiestate vero sic August. loquitur 1. de Doctr. Christ. cap. 5. *Eadem tribus eternitas, eadem incommutabilitas, eadem maiestas.*

6 Ratio autem à priori huius conclusionis, quam tanto consensu Patres omnes diuinis nominibus, maiestatis, plenitudinis, integritatis, magnitudinis, perfectionis, bonitatis tradunt: (nimirum non posse multiplicari in diuinis, in quibus vnica, & immultiplicabilis essentia est) ex nostris principiis vnice deducitur. Quia in sola essentia formaliter intrinsecè est esse, seu ens, & entitas diuinæ; atque insuper integritas, & totalitas in esse, seu essendo, ac entitate tam physice, quam metaphysice. Cum neutro modo perficiatur personalitate, vt docebamus cert. 3. n. 2. & 3. atque insuper est in linea naturæ singularissima: imò neque extrinsecè perficitur, vt diximus cert. 4. n. 3. Vnde aggregatum ex essentia, & personalitate, vel tribus personalitatibus non est quid perfectius essentia; quare neque tres personæ perfectius quid sunt singulis, cum maiorem, aut perfectiorem essentiam non habeant, quam singulari seorsim. Vltimam, & efficacem fati rationem à posteriori, & absurdo premam disp. de comparatione personarum. Quia si personæ non omnino eandem bonitatem, & perfectionem haberent, tres personæ, maius quid, & perfectius forent, quam singulari; quod est erroneum, vel ferè, vt ibidem monstrabo.

## CERTAMEN VI.

## Obiectionibus occurritur.

1 **O**biectio primò. Essentia est pars metaphysica personæ, quam cum personalitate constituit: ergo non est bonitas absoluta primaria. Patet: ideò per nos personalitas non est bonitas absolutè primaria; quia pars metaphysica est: de ratione autem bonitatis absolute primariæ est in suo ordine non esse partem. Respondetur distinguendo primam partem antecedentis: est pars metaphysica in essendo personæ nego antecedens: quia totum esse, atque integrum personæ sola essentia est: In ratione personæ transeat: & nego consequentiam. Ad eius probationem distingo: Quia pars in essendo est, (si admittatur, habere entitatem intrinsecè, & formaliter à personalitatibus) fateor, quia pars, vt cumque, ac non in essendo personæ est, nego. Integritas enim, & totalitas, in qua est bonitas absolutè primaria est integritas, & totalitas in essendo. Sicut enim quævis ratio ens, siue essendi adhuc parti liter, est bonitas secundum quid: ita tota ratio totalis essendi est bonitas absoluta. Itaque personalitatibus negabamus rationem bonitatis absolute, quia neque vllam rationem essendi formaliter habent: deinde quia, & si haberent, vt plures volunt, partialem solum haberent. Cum autem essentia habeat rationem essendi integram, atque entitatem totalem personarum, nullum inde contra absolutam bonitatem primariam ipsius dici argumentum potest.

2 Oppones rursus contra conclusionem 3. cert. 3. Personalitas diuina naturam complet, facitque esse per se, ac non in alio, constituitque personam: ergo naturam perficit extrinsecè in ordine metaphysico, personam autem intrinsecè. Plura supponit obiectio ex falsa, licet communi recentiorum apprehensione de subsistentia, & personalitate, quæ in Logica controu. de substantia, atque hoc tomo disp. proœciali satis discimus subsistentiam formaliter consistere in independentia naturæ omni modo singularis in essendo ab vnione ad aliud: vnde diuersum valde est, quod supra naturam singularem diuinam addit subsistentia, ab eo, quod addit supra naturam singularem creatam supra hanc enim addit independentiam in essendo, siue in sui existentia ab vnione ad aliud, cum quod totum componat, ac proinde negationem essendi partem: quare cum addat rationem totius aliquid fortasse perfectionis addit naturam autem diuinam, quæ de suo essentiali

conceptu habet non esse dependentem, seu esse independentem in essendo, siue in sui existentia ab vnione ad aliud, eam independentiam non addit, sed vltimam singularitatem, quam præcisa à personalitate non habet: cū sine illa, vt aiebat Richard. non fit vltimo singularifata. Vnde constat non compleri à personalitate in essendo, nec reddi independentem in sui existentia, siue in essendo, ab vnione ad aliud, sed solum vltimò singularifari: quod nullatenus est perfici adhuc extrinsecè, cum vltima illa singularitas nullum esse tribuat adhuc extrinsecè, siue naturæ, siue personæ.

3 Occurres secundò contra eandem conclusionem. Implicat aliquid esse in Deo, quod non fit formaliter, & in se perfectio: sunt autem in Deo personalitates: ergo. Nego maiorem. Probabis primò: quia Theologi inde probant in Deo esse personam: quia quidquid est perfectionis, in Deo esse debet. Respondetur bene probari: quia esse indiuiduum, & totalem naturæ rationalis substantiam perfectio est. Sed oporteret probari inde personalitates præcisas esse in Deo, vt aliquid contra nos probaretur nam nisi identificatæ cum natura reuera in Deo non sunt, neque absolute sunt, habentæ entitatem. Imò & si Theologi Recentiores hoc inde probarent nos minimè mouerent: quia aliter quam veritas fert de subsistentiis censent. Probabis secundò. Quia, si personalitas ratione sui formaliter perfectio non fit, superflua in diuinis erit. Sed facile negatur: cum adhuc habeat munus constituendi, ac distinguendi personas. Probabis tertio. Quia Theologi fatentur omnes humanitatem per vnionem ad personalitatem Verbi summopere perfici: quod fieri non posset, si personalitas Verbi saltem relatiua perfectio non foret. Respondeo in primis probabile esse, nec censura dignum, primario, & per se toti Verbo vnitam esse humanitatem, quo cessat argumentum. Secundò, & si non primario, & per se formaliter, aut materialiter Verbo toti vnita fuit, cum non fit vnita personalitati in statu personarum: totum autem Verbum bonitas, & perfectio est, licet præcisa personalitas bonitas non fit.

4 Tertio contra eandem conclusionem est. Quia multi Patres aiunt authoritatem, & magnificentissimum Patris esse, Patrem esse, ac Filij esse Filium, non solum, quia Deus est, sed quia Pater est, vt aiebat Cyrill. 1. Theaur. c. 6. circa med. Item in ratione inuaginis, quæ personalis est Filij perfectionem agnoscit Basil. hom. 28. contra Sabelian. circa med. lib. vnic. de Spiritu Sancto capite 18. ante med. 3. contra Eunom. sub init. Demum subsistenti modum perfectionem personale appellat, atque hypothas perfectas. Damasc. 1. de fid. cap. 11. circa med. de decretis primæ institution. cap. 1. Ep. de Trifagio med. Hieronym. Ep. 57. ad Damas. post medium quæ omnia personalia sola sonant. Respondetur in esse Patrem, & imaginem, ac Filium essentiam ingredi, atque hypothas integras personas, non personalitates solas, claudi apud Patres, qui eo nomine numquam personalitates præcisas in tellexerunt, vt notabimus disp. proœciali. Sed esto, loquantur de personalitatibus præcisis solum contendunt non excludi à perfectione essentiæ, quam habent. Id quod significant illis Verbis, quia, vel, quia Pater est. Sicut de Christo dicunt esse quia hominem, siue secundum humanitatem Filium Dei: hæc enim quandoque solum denotant materialem causam. Neque aliud voluit Damasc. qui rigidius loquitur, cum subsistenti modum perfectionem personalem dixit: cum statim dicat hypothas perfectas, vt ostendat abstractum vsu passe pro concreto Verbis primis: neque enim sibi aduersari Patres, qui toties vni essentia bonitatem tribuunt credendi sunt, maximè Damasc. cum cap. 9. eiusdem libri expressè negauerit personalibus perfectionem, vt ex ipso recitabamus certamen 3. n. 2.

5 Demum obiectio. Licet attributa non sint formaliter entia, sunt tamen bonitates: ergo, & personalitates. Negatur antecedens. Probari autem potest. Quia deficiente potentia generatiua, deficeret formaliter perfectio intrinseca Patris, imò essentiæ: atqui potentia generatiua est intellectus, qui est attributum non habens entitatem, per nos, formaliter: ergo attributum non habens entitatem

entitatem formaliter est bonitas, & perfectio in diuinis. Patet: quia deficiente eo, quod perfectio non est formaliter, nequit formaliter deficere perfectio. Respondeo, admissio intellectum esse attributum, distinguendo maiorem. Deficiente potentia generatiua proxima deficeret perfectio formaliter, nego; deficiente potentia generatiua remota, & radicali deficeret formaliter perfectio, concedo. Et de radicali nego minorem: quia radicalis potentia generatiua essentia ipsa est. Et nego consequentiam. Verum quidem est deficiente intellectu, quouisve attributo, aut personalitate defecturam materialiter, & remotè bonitatem, & perfectionem diuinam. Quia deficeret necessaridè essentia, cui identificantur, quæque tota bonitas, & perfectio diuina est. Arque hoc solum probant plura testimonia Patrum dicentium apud Ruiz disput. 9. sect. 3. & 4. Patrem, etiam, at Deum, imò diuinitatem ipsam, imperfectam fore sine Filio.



### QVÆSTIO IV.

*Vtrum multiplicetur vnitas in Trinitate?*

Extrema entis passio, nempe vnitas quarto loco in Examen vocatur.

#### CERTAMEN I.

*Aliorum opiniones, atque ad decidendum notata.*

**N**onnulli apud disp. 27. sect. 3. n. 2. docent vnitatem transcendentem pro personarum numero non multiplicari in Trinitate, sed vnicam solum esse. Refertur pro hac sententia Scotus 1. dist. 24. q. vnic. & Argenna ibidem. Reliqui tamen Theologi in 1. d. sp. 24. q. 1. atque ad 1. partem q. 30. art. 3. tres vnitates admittunt quare oppositum temerarium reor. Addit tamen Ruiz vbi proximè n. 7. ita esse tres vnitates transcendentales, vt non sint tres vnitates prædicamentales, sed vnica tantum; quia tres vnitates personales, vt potèe identificatæ cum vnitatis essentia, simul vna vnitas sunt. Sed certè, nec nomen vnitatis prædicamentalis, nec huius à transcendentali discrimen, nec discriminis rationem satis caleo nisi modo explicando, n. 3. Nam, licet verum sit personas inadæquate secundum essentiam sumptas vnum esse, tamen, si personalitatibus sua etiam personalis vnitas adfit, sicut in personis diuersæ absolute sunt, & non eadem personarum tres absolute vnitates personales admittendæ erunt. Confirmatur: quia in essentia admittitur absolute vnitas: ergo, & in personalitatibus admitti debet absolute diuersitas. Patet. Siquidem non magis absolute sunt vnum in essentia, quam tres in personis. Confirmatur secundo: quia non minus Pater est vnus, & non plures Patres, & personæ, quam Deus est vnus, seu vna essentia, & non plures: atqui vnitas ex Sancto Thom. & communi, imò ex ipso Ruiz est indiuisio in se, & diuisio à quouis alio: ergo personalitas, seu persona est vna, habetque vnitatem suam non minus, quam essentia: ac proinde tres personæ tres vnitates.

**2** Pro vera quæstionis decisione nota: vnitatem realem non sequi, aut comitari rationem entis metaphysici, seu realitatem, aut existentiam formaliter sumptam, sed solum, prout in statu realitatis res iacet, sicut vnitas formalis sequitur prædicata formalia quæcūq; sint, siue ens formaliter, siue nō ens sint. Ratio vtriusque est. Primi quidè: quia vnitas realis est rei indiuisio in se, & diuisio à quolibet alio independens ab intellectu, quouisque præcisione ipsius: sed hæc solum habet res in statu puro realitatis: ergo

vnitas realis sequitur rem, & entitatem in statu puro realitatis omni prorsus intellectu præcisione semota. Vnde vnitas realis nulla præter numerica datur: quia præcisione intellectus semota non datur nisi indiuisia. Quod autem vnitas formalis quamuis formalitatem præcisam, & si formaliter ens non sit, sequatur, facile suadetur. Quæuis enim formalitas, etiam præcisam ab entis prædicato, in illo præcisionis statu est indiuisa in se, & diuisa à quouis alia formalitate, fundatque negationem identitatis cum aliis formalitatibus in eo præcisionis statu possis, in quo vnitas, seu ratio vnius formaliter consistit, vt latius persequeremur controu. 6. Logicæ.

**3** Nota secundo cum Richard. 4. de Trinit. cap. 23. in it. Deitatem seu essentiam diuinam secundum se & præcisam à personalitatibus non esse omnino singularizatam realiter, vel formaliter. Primum patet ex dictis: quia in eo statu præcisionis non habet statum realitatis: ac proinde neque vnitatem realem potest habere iuxta dicta n. 1. Secundum verò probat Richardus: quia, licet in ratione naturæ, singularis, & indiuisa Deitas sit, tamen communis est tribus personis realiter formaliter: ita vt eademmet realiter sit tres personæ; sicut homo realiter est Petrus, & Paulus; licet formaliter homo sit vna species, non plures. Itaque est vna singulariter in ratione naturæ, quia nequit multiplicari, seu esse plura indiuisa Deitatis; in quo ab speciebus creatis differt: cum autem adhuc sit aliis indiuisis, licet non naturæ, sed personarum communis, non habet singularitatem omnimodo singularem sed mixtam ex singularitate, & compunitate. Atque hoc fortasse volebat Ruiz dum supra aiebat: personalitates non afferre singularitates prædicamentales. Nam huiusmodi singularitas debet esse in linea naturæ, quam Deitas à se ipsa, non à personis habet.

#### CERTAMEN II.

*Vera quæstionis decisio.*

**1** Affero primò in Trinitate esse absolute triplicem vnitatem realem, non tamen adeò strictam, & singularem, atque sint plures vnitates indiuiduorum creatorum. Primum est commune Doctorum, & quod facile probatur ex dictis: quia vnitas realis sequitur statum realitatis in ente quouis: atqui in ente idiuiso est triplex status realitatis omnino ab intellectu independens in tribus personis, vt fides docet: ergo in tribus personis est triplex vnitas realis. Confirmatur: quia verè, & realiter sunt tres personæ, ita vt quæque realiter sit indiuisa in se, & diuisa à quouis alia, fundans negationem identitatis cum alia: ergo sunt tres vnitates reales. Ad didi autem reales has vnitates singulares non esse adeò strictè diuersas, & tres, atque vnitates reales Petri & Pauli, aut aliorum indiuiduorum creatum: quia non fundant omnimodam diuisionem à quouis alia persona: cum simul fundet quæuis persona Trinitatis indiuisiōnem cum duabus aliis in natura.

**2** Dico secundo in Trinitate esse absolute triplicem vnitatem singularis formalis, & alia vnitas mixta ex singulari, & quasi specifica. Primum patet: quia quæuis personalitas præcisam vltimam diuisionem formalem, est indiuisa in se, & diuisa à quouis alia, tam personalitate quam essentia, vt constat in veriori opinione, quæ formaliter ex æquo personalitates ab essentia diuidit, vt dicemus disputatione octaua. Quod autem sit alia vnitas mixta ex singulari, & quasi specifica facile suadetur: quia eam natura præcisam, & secundum se sumpta habet. Etenim vnitas singularis formaliter vltimè claudit naturam, ne possint esse plures naturæ indiuiduæ, quod habet natura diuina secundum se: vnitas autem specifica relinquit naturam componibilem cum pluribus indiuisis ipsius; quod licet singularitas naturæ diuinæ non p. tiatur, patitur autem aliquid simile: nempe relinquitur illam componibilem cum pluribus personis.